





*1791, 24.*  
EXERCITATIO IVRIS CIVILIS

DE

T E M P O R I S  
CONTINVI ET VUTILIS  
COMPVTATIONE

---

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO GRADV DOCTORIS  
OBTINENDO

A. D. XV. M. SEPT. A. C. CCICCLXXXI

PROPOSVIT

CHRIST. AVGVST. STOELTZER

MARGLISSA - LVSATVS  
IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA SAALBACHIA

EXERCITATIO IAVIS CIUITATIS

DR.

T E M P O R I S  
C O N T I N U A E T A T I T I S  
C O M P U L T A T I O N E

MATRIS IURISCONSULTORVM ORDINIS

A C T O R I A T A T I

P R O G R A M M A D O C T O R I S

O F F I C I O N I S

A.D. XXV. SEPTEMBER. M. C. CLXXXII

T R A T T O R I A T I

C H R I S T . A V E S T . S T O L D F A T T E R

M A R C O L I S S A . L A V A T A S

I A V I S A T R I A S F A L T H O C C A L A V A R I A S

E P I S T A R I A

E X O F F I C I O N A B A V I A N A C H I

VIRIS  
MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMIS  
CONSULIBVS  
PRAETORIBVS  
SYNDICO SCABINIS  
NEC NON  
RELIQVIS SENATORIBVS  
INCLVTAE CIVITATIS  
GORLITIENSIS  
D. D. D.  
CHRISTIANVS AVGUSTVS STOELTZER

ALBIS  
MUNICIPIS CONSULATISSIMAE  
ANATOLIASIENSIS  
COUNSALIBAS  
PRATORIBAS  
SYNDICO SOVBRINIS  
MUNICIPALIS  
MUNICIPALIS SYNTOPRIBAS  
INCIVITATE CIVITATIS  
COUNSALIBAS  
COUNSALIBAS  
SYNTOPRIBAS

CAP. I

*Verborum significacionem exhibet.*

**R**ecete **VLPIANVS L. i. D.** de diuers. tempor. praescript. tra-  
statum de utilibus diebus frequentem dixit; quo magis est mi-  
randum, si a **MARC. ANT. BARDI** *Opusculo de tempore vili et*  
*continuo*, quod in *Tractatus Tract. Tom. V. f. 210. sgg.* extat,  
*et IO. FR. BILGERI Dissertatione de diebus continuis*, *Altors.*  
1709. habita, discesseris, nondum quemquam huic iuris ciuilis  
loco sigillatim lucem adfudisse. Ac poterat tamen exempli  
**IO. CONR. RÜCKERT**, Batavorum doctissimi, qui ciuilem et na-  
turalem temporis computationem in iure libro singulari egregie  
illustravit, ad colendum agrum confinem, qui messem haud in-  
feriorem polliceretur, exhortari. Quae quam ita sint, cur  
mihi id potissimum argumentum ea, qua liceat, diligenter  
explanandum sumserim, vix est, ut moneam.

Solent autem iurisconsulti, quoniam de tempore, intra quod leges aliquid fieri volunt, loquuntur, vel *continui*, vel *utiles* spatii rationem habere, ita, ut continuus annus ex continuis diebus

■ ■ ■ ■ ■

trecentis sexaginta quinque constet: L. 4. §. 5. D. de statulib. cf.  
 L. 51. §. 2. D. ad L. Aquil. in vtile vero tempus ii dumtaxat dies  
 imputentur, quibus experiundi potestas sit: d. L. 1. de dia. temp.  
 praescr. Similiter in L. 7. D. quemadmodum seruit. amitt. continuum  
 tempus opponitur ei, quod aestate, aut uno mense, aut alternis au-  
 sis vel mensibus limitatur, ut a continuo spatio nihil absit, quod  
 ad eius seriem naturalem pertinere intelligitur. Nec aliter acci-  
 pienda est notio integri anniuersarii anni, quem silit L. 4. C.  
 de suscep. Lib. X. et temporis iugis, aut iugiter computandi, quod  
 occurrit in L. 1. C. de feriis, L. 22. C. ad SC. Velei, L. 3. 4. C. de  
 praescript. XXX. vel XXXX. ann. et L. ult. C. de fund. patrimon.  
 Lib. XI. item continuatio temporis, quae pro continuo tempore po-  
 sita legitur in L. ult. pr. C. de tempor. in int. refit. Plane respondeat  
**MODESTINI** εὐαντὸς συνηρέψεων ἡμέραι in L. 10. §. 3. D. de ex-  
 cusat. et vetus GLOSSA in Ev. OTTONIS Thes. Iur. Rom. Tom. III.  
 p. 1756. quae κοντινώς explicat per συναπτῶς, μὴ δεχόμεν περι-  
 κοπὴν τινα. *Vtile autem tempus* eo sensu dicitur, quo in exem-  
 plis a BARN. BRISSONIO Lib. XVIII. de verborum, quae ad ius-  
 ciu. pertinent, signif. v. vti, p. 1373. ed. nouiss. adlatis vti est expe-  
 riendi actione: et eodem redit utilitas temporis in L. 1. §. 3. D.  
 quis ordo in poss. secus in L. 4. pr. D. de eo quod certo loco, qui  
 locus ad id, quod temporis causa interest, pertinet. Graeci aut  
 seruant οὐτίδιον χρόνον, ut THEOPHILUS ad §. 16. I. de excus. tut.  
 EVSTATIUS de varia temporum in iure ciu. observatione cap. 19.

§. 1.

§. 1. et GLOSSAE *verb. iur. l. l. p. 1774. passim*, aut appellant *αιεισ-*  
*μένον*, interpretibus EVSTATHIO l. l. c. 27. §. 2. et GLOSSA ibid.  
 plerumque tamen ipsum quoque tempus utile vocant *συντήτον*, v.  
 g. EVSTATHIVS l. II. §. 1. et 2. c. 14. §. 1. c. 16. et c. 19. §. 1. et  
 GLOSSAE l. l. vt, nisi aliunde conflatet, quomodo dies essent com-  
 putandi, ex Graecis certe iuris auctoribus dici vix posse videa-  
 tur. Quae obseruatio fugit diligentiam IAC. CVIACII Lib. II. Off.  
 c. 18. nec tamen mouere debuisset ANT. SCHVLTINGIVM in  
*Notis ad Glossas verborum iuris*, vt quoties a Graecis interpreti-  
 bus utile tempus per *συντήτον* redditum animaduerteret, negotio-  
 nem addi iuberet. Forte enim habet in illis locis τὸ *συντήτον*  
 vim congrui, quod apte cohaereat, et; vt verbo dicam, oppor-  
 tuni. Ceterum illustrari potest temporum, de qua loquor, diuer-  
 sitas maxime exemplo *cretionis*, cuius VLPIANVS *Fragm. tit. 22.*  
 §. 31. et 32. duas proposuit species, *vulgarem* alteram, alteram  
*continuam*, vt illa, cui adiecta sunt verba: *quibus scieris pa-*  
*terisque*, *vtilibus interuallis regatur*, haec, a qua sollemnis for-  
 mula abeat, intra continuum spatium procedat.

Descripturus autem temporis continua et utilis inde-  
 lem, de eo potissimum genere disseram, *quod leges ipsae actionibus*  
*humanis praefiniunt*, nec immorabor exemplis conventionum vel *ut-*  
*timarum voluntatum*, quae, vt aliquid intra certum tempus eueniat,  
 statuant; cuiusmodi est temporis continua mentio in L. 2. pr D.  
 quib. mod. *vifissi. amitt. L. 7. D. quemadmodum seruit. amitt.* L. 6. et  
*autem iste oritur in multis*

17. D.

17. *D. de usu et usus leg.* L. 4. §. 5. L. 20. §. ult. L. 40. §. 2.  
*D. de statutis.* L. 38. §. ult. *D. de liber. cauſa.* L. 1. C. si mancip.  
ita fuer. alien. Non magis ad nostram temporis obſeruationem  
pertinent fines, quibus conditio alicuius hominis regitur, licet ab  
ipſis legibus ſint deſcripti, vt in L. ult. §. 3. *D. de public. et vestigi.*  
veterana mancipia definiuntur ea, quae anno continuo in rive ſen-  
uerint: cf. d. L. 51. §. 2. *D. ad L. Aquil.*

C A P. II

*Quotuplifici modo tempus continuum et utile in iure ciuilis  
computetur, offenditur.*

*Continuum quidem tempus, si a specie in L. 31. D. ad L. Iul. de adult. proposita, quam infra sigillatim illustrabo, discesseris, eodem semper modo in iure nostro computatur, ut serie perpetua dierum naturalium decurrat, neque spatium intermedium ex eo eximatur: a. L. 4. §. 5. D. de statulib. i. d. L. 7. D. quemadmodum seruit, amitt. unde iugiter et sine additamento dierum seruari dicitur in L. 1. C. de feriis.* Id vero tenendum est, ne iuriis quidem vel facti ignorantiam eius cursum impedit, quod exemplis L. 8. D. de his, qui not. infam. L. vlt. C. de dolo, L. 3. C. de praefter. XXX. vel XXXX. ann. et L. 5. C. ad L. Iul. de adult. satis confirmatur. Qui enim aliquando a momento scientiae repetuntur dies continui, ut tutaribus concessi ad adlegandas excusationes; §. 16. I. de excusat. posteriori iure vitium numero adcentetur.

## *Vtile*


*Vtile autem tempus varie potest describi, prout vel ad initium, vel ad causas eius resipexeris.* De solis causis cogitauit ALB. GENTILIS, dum in Lib. de diversis temporum adpellationibus c. 14. triplex tempus vtile distingueret, unum vtile quibusdam, non omnibus, aliad vtile omnibus, non tamen semper, tertium vtile omnibus et semper. *Vtile quibusdam* dixit tempus, quod non omnium causarum cognitionem admittit, sed rerum tempore periturarum, dationis tutoris et curatoris, adpellationis interponendae, id genus aliarum. *Tempus vtile omnibus, sed non semper,* vocauit, quod non omni ex parte est vtile, sed, ut in diebus intercessis, aliquot horis, quibus ius non redditur, interruptum; *omnibus* denique *et semper vtile*, quod omnes causas agi finit, et in omni sua statu parte. Sed dubito vehementer, an hoc modo consultum sit singulis temporis, quod tamquam vtile continuo opponitur, figuris; quae ut magis elucescant et plene pateant, paullo altius sunt repetendae.

Itaque, praecunte *Glossa ad inscriptionem tituli D. de divers. tempor. praescr.* tria potissimum ad vtile tempus exiguntur *primum*, ut actor experiri, deinde, ut reus conueniri, denique, ut index adiri possit.

Ac primum quidem, ut actor experiundi facultate gaudeat, non sufficit, enim agere posse, sed etiam, ut, sibi hanc potestatem esse, intelligat, necesse est. Vtrumque expressis verbis coniunguntur in L. 2. pr. D. quis ordo in posse, ita autem vtile tempus est,

B

vt



ut singuli dies in eo utiles sint; scilicet ut per singulos dies et scierit  
 et potuerit admittere (bonorum possessionem), ceterum quacumque die  
 nescierit, aut non potuerit, nulla dubitatio est, quin dies ei non cedat.  
 Inde in L. 6. D. de calumnia. is, qui nescit, negatur habere expe-  
 riundi potestatem: cf. L. vlt. C. de dolo malo. Solam autem factis,  
 non iuris, ignorantiam in tempore utiliter computando excusare,  
 recte obseruauit RAD. FORNERIUS Lib. II. Rerr. quotidd. c. 14. in OR-  
 TONIS Thes. T. II. p. 175. quod aperte proditur in L. I. §. 1. D.  
 de iur. et facti ign. L. 10. D. de bonor. poss. et L. 6. C. qui admitt.  
 ad bon. poss. nisi lex aliqua singularis quibusdam hominibus eius  
 ei gratiam fecerit, quale exemplum extat in L. 9. §. 1. D. de iur.  
 et f. ign. Quae ad experiundi facultatem ipsam ab auctoris parte exi-  
 gantur,clare docet L. I. D. de diuers. temp. praeser. scilicet, ne  
 idonea praefecto sit cauſa, qua impeditur experiri: cf. L. II. §. 5.  
 et L. 15. pr. D. ad L. Iul. de adult. Propter huiusmodi impedi-  
 menta succurritur ex d. L. I. ei, qui apud hostes est, vel reipubli-  
 cae cauſa absit, vel in vinculis est, vel tempestate in loco aliquo  
 aut regione detinetur, ut neque experiri, neque mandare possit:  
 cf. L. I. §. 1. L. 26. §. vlt. L. 28. §. 1. D. ex quib. cauſ. maior.  
 d. L. II. §. 5. et L. 15. pr. D. ad L. Iul. de adult. L. 15. et 21. C.  
 eod. L. vlt. C. de dolo malo. Non tamen excusat, qui valetudine  
 impeditur, ut mandare possit, dummodo actus sit huiusmodi, qui  
 mandatum recipiat: d. L. I. de diu. temp. praeser.

**Vt** reus experiundi secum faciat potestatem, vel habeat, qui se idonee defendat, est alterum, quod ex d. L. 1. in tempore vtili spectatur; et eatenus respondit **SCAEVOLA** in L. 39. pr. D. de minor. posse etiam egressos aetatem legitimam in integrum restituui, si aduersarii, vt impedirent cognitionem Praefidis, ad Imperatorem adpellauerint, finita autem adpellationis apud Imperatorem cognitione, et iniusta adpellatione pronuntiata, vtile tempus elapsum deprehendatur. Similia impedimenta, ex persona aduersarii nata, recenset d. L. 1. §. 1. L. 21 — 26. et 28. §. 4. D. ex quib. cauſſ. maior.


Supereft, vt magistratus quoque vel iudex, coram quo cauſſa agitur, sui copiam faciat, quod in tempore vtili quam' maxime obſeruari docet d. L. 1. de dia. temp. praefcr. iungenda Legi. 26. pr. et §. 7. D. ex quib. cauſſ. mai. L. 1. §. 9. D. quando adpelland. et L. 6. C. ad L. Iul. de adulſ. Verum adeundi facultas pro cauſſarum diuersitate varie accipitur, nec, quando Praetor quibusdani negotiis vacat, omnibus feſtis se praebere intelligitur. Vnde distinguenda sunt duo potissimum dierum genera: dics *fusci*, seu *ſeffionum*, quibus Praetor pro tribunali cognoscit; et alii, quibus de pleno ius reddit. Iam quaecumque cognitione, et summaſia, indigebant, non poterant aliis diebus, quam fastis, expediri; quae vero per libellos agebantur, quoouis alio tempore opportune fiebant, dummodo sui copiam magistratus *in publico* fecisset: d. L. 1. §. 9. D. quando adpelland. Proinde aliis cauſſis tempus vtile est, quod

in aliis eximitur, ut manifesto bonorum possessionis argumento docet **VIRIANVS** L. 2. §. 1. *D. quis ordo in possess. seru. Dies bonorum possessionis utiles esse palam est; sed non sessionum numerabuntur, si modo ea sit bonorum possessio, quae de plano peti potuit.* Quid, si ea, quae caussae cognitionem pro tribunalii desiderat, vel quae decretum exposcit? sessiones erunt nobis computandae, quibus sedet ipi; quibusque per ipsum Praetorem fastum non est, quo minus daret bonorum possessionem. Quae dierum, a sessionibus vacuorum, observatione tam strenua est, ut secundum L. 2. *D. de feriis*, et L. 11. §. 6. *D. ad L. Iul. de adult.* in primis in negotiis, quae moram non ferunt, vel de plano expediri possunt, ipsi quoque dies feriati impotentur, qui alioquin cum ceteris nefastis e tempore utili solent eximi, dummodo res pro tribunalii sit cognoscenda. Quum vero de hoc caussarum discrimine post **JAC. RAEVARDVM Protribunal.** c. 1. 6. 7. 8. et 9. *Opp. Tom. I. p. 873. sqq. SIBR. TET. SICCAM.* **MAM** Lib. II. de iudicio centumu. c. 1. p. 115. sqq. ed. Zepernick. **FRANC. POLL ET VM** Lib. I. *Historiae fori Rom. c. 8. et 9. et PHIL.* **BRODAEVM** in Corollariis ad POLL ETI I.I. plene differuerit **GER.** **NOODT** Lib. I. de iurisdict. et imp. c. 10. equidem nihil adjicio, nisi quod ex loco **CAPITOLINI** in v. **M. Antonini Philosophi** c. 10. numerus dierum utilium, qui tamquam fasti tempore **D. MARCI** anno vulgari inessent, adpareat. Is enim Imperator fastis dies iudiciorum addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibus que disceptandis constitueret.

Patet

Patet igitur, in tempus utile id solummodo spatium impunitari, quo agi potuit, deinde eo, quo id non licuit, sine actor, sine reus, siue iudex essent impediti. Et hoc sensu infinitis in locis occurrat clausula edicti Praetorii: *quum experiundi potestas erit*, vt in *L. i. pr. D.* quae in fraud. cred. et *L. i. pr. D.* quod vi aut clam, vel: *quum primum experiundi potestas erit*, v. c. in *L. i. §. i. D. ex quib. cauif. maior. et L. i. pr. D. uti poffid. dies ipsi vero*, quibus experiundi potestas est, cedere dicuntur: *L. 28. §. 4. D. ex quib. cauif. maior. L. i. D. de diuurf. temp. praefcr.*

Iam etsi triplex, quam descripsi, facultas ad tempus utile plerunque exigitur, tamen occurunt exempla, quibus e continuo cursu aliquid est admixtum, vt, modo vna vel altera facultas exerceri possit, nihilominus tempus utiliter computari dicatur. Vnde tres potissimum constituo utiles in iure computationis modos: *primum*, qui omnis generis impedimenta ex spatio definito eximat, vt non solum experiundi potestas ab actoris parte requiratur, sed etiam adversarii et judicis copia necessaria sit, seu *tempus plene utile*: *alterm*, qui solius initii, non item cursus, rationem habeat, vt, dummodo quis cognoverit, sibi esse agendi facultatem, protinus ei interuallum ad agendum praescriptum currere incipiat; seu *tempus utile ad aliquid*, auctore VLPIANO in *L. i. §. 7. D. quando adpelland. tertium* denique, qui, ab ipso facto profectus, decursu fiat utile, seu *tempus initio continuum, progressu utile*. Quam triplicem temporis utilitatem, cum tempore continuo comparatam, singulis



deinceps exemplis, ab ipsis legibus petitis, comprobabo, omissis  
iis, quae, in iure nostro non expressa, eamdem computandi rationem,  
argumentis a similitudine ductis innixam, admittunt.

Originem autem totius computationis a Praetorum et I<sup>CTO</sup>  
rum, qui libera rep. floruerunt, aequitate repeo, cui caussam de-  
derat Pontificum in intercalando follertia. Certe ex hac omne die-  
rum apud veteres Romanos discrimen fluxisse, IAC. van VAASSEN  
*Lib. I. Animaduersionum Historico - criticarum ad falsos Romanorum  
factos, quas post auctoris obitum edidit C<sup>H</sup>PH. SAXIVS Trai. ad  
Rh. 1785. c. I. p. 19. s<sup>qq</sup>. adcurate demonstrauit.*

### C A P. III

#### *Exempla temporis continui proponuntur.*

A tempore, quod sine villa interruptione continuo decurrit,  
dum proficiuntur oratio, primum idemque maxime perspicuum  
exemplum occurrit in L. 8. D. de his, qui not. infam. vbi VLPIAS  
nvs tempus luctus, quatenus a vidua obseruandum est, vocat conti-  
nuum, fecus ac currere solet patri, qui filiam in sua potestate con-  
stitutam, genero mortuo, intra id tempus, quo elugere virum  
moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocae-  
rit. Hunc enim, monente eodem Iurisconsulto, tunc demum in  
poenam a Praetore propositam incidere aequum est, quum, mor-  
tuum

tuum esse generum, scierit, ne ignorantia puniatur. Sed diuersa ratio obtinet in vidua, cui et ignorantia tempus luctus cedit ex die mortis mariti, forte, ne doloris, saepe simulati, iusto seuerius admodum in ipso aetatis flore absumatur, vel dura infamiae nota ultra modum impendeat, unde maluerunt Iurisconsulti, aequitatis studiosissimi, tempus luctui statutum corripere, quo citius tristia signa a vidua deponi possint. *Et ideo, si post legitimum tempus mariti mortem cognouit, Labeo ait, ipsa die et sumere eam lugubria et deponere.* Aliam continuae computationis rationem, ab imbecillitate muliercularum petitam, ne nimis diu differantur secundae nuptiae, quas adpetere viduae prae virginibus videantur, MARQVARDO FREHERVO Lib. III. de infamia c. 17. §. 8. p. m. 467. adulit; quam, ne injuriosus esse arguar erga pudorem muliebrem, prudens omitto, sicut et lepidam scilicet caussam, quam BARDVS d. l. c. 3. §. 7. in Tr. Tr. Tom. V. f. 212. b. reddidit.

Quodsi mulier, diuortio facto, se praegnante esse dicat, debet intra XXX. dies continuos, ex die diuortii connumerandos, non vtile, id ipsum marito denuntiare; *L. 1. §. 7. et 9. D. de adgnosc. et alend. lib. quod venit ex SCto Planciano, sub auspiciis VESPASIANI condito: v. IO. ORTW. WESTENBERGII Diu. Mare. Diff. XXVII. §. 6. p. 271.*

Continuus porro, seu, *vt cum MODESTINO loquar, συνημένων ημερῶν, est annus, ex quo, qui reip. caussā absuerant, reuersi a tutela excusantur: L. 10. §. 3. D. de excusat. quo loco simul cautum legimus,*

decoro

legimus, recta via esse redeundum, non eiusmodi, quae sit ex circuitibus: ne anni vacatione, ex aequitate indulta, abuti potius, quam ut reuersus videatur.

Singularem speciem temporis continui exhibet L. 5. §. 16 et 19. D. et in possess. legat. vel fideicommiss. seruand. causa esse licet. cui caussam dederat Imperatoris ANTONINI constitutio de legatariis et fideicommissariis in propria bona heredis mittendis, si post sex mens. quam aditi pro tribunali fuerint hi, quorum de ea re notio est in satisfactione cessatum sit. In quo interhallo VLPIANVS d. §. 19. putat sex mensum continuum tempus, non possessionum, esse compunctionem. Perperam ibi FRANC. ZOANNETTVS Restitut. c. 8. in OTTONIS Thes. T. IIII. p. 652. exemplarium, nescio quorum, fidem sequutus, pro possessionum legit fictionem, ut conueniret locus Legi 2. §. 1. D. quis ordo in possess. seru. quae et ipsa est VLPIANI ex eodem opere. Verum et si hanc conjecturam suam fecerunt viri doctissimi, ab OTTONE in Praefatione ad Thesauri Tomum, quem dixi, p. 217. sq. laudati, tamen nihil mutandum censeo, quum possessionum dissrespiciant ad bonorum possessionem, in qua tempus utiliter communerari palam est. Itaque ne quis forte ex eo, quod de satisfactione ab herede praestanda legatariis vel fideicommissariis, magistratum adiri oporteat (quem sub eo, cuius ea de re notio est, intelligi, WERNBERGIVS l. l. Diff. XXXVIII. §. 6. p. 318. recte obseruavit), tempus in hac quoque specie ad aequitatis Praetoriae normam esse exigendum.

**VLPIANVS**, quo  
minus mora heredi prodesse videatur.

In loco de mulierum intercessionibus duplicem obseruauit  
temporis continui mentionem: alteram, quae occurrit in L. 24. §.  
3. D. ad SC. Vellei. alteram, quae debetur L. 22. C. eod. Ac prima  
quidem visio paullo difficultior his verbis continetur: *Si pro eo, qui  
temporali actione teneretur, mulier intercessit, temporalis actio resti-  
tuetur: sic tamen, ut ex praecedenti causa continua tempora numeraren-  
tur post restitutionem, quamvis flatim, atque intercessit mulier, compe-  
tierat.* Quod enim SCto in gratiam mulierum introductum fuerat  
beneficium, causam deinde dedit actionis, per intercessionem feminae,  
nouandi animo factam, amissae, restitutioni, qua Praetor creditoribus  
succurrerit: v. NOODT ad d. tit. D. in Opp. T. II. p. m. 278. Iam fin-  
gamus, mulierem fidem interposuisse pro venditore, qui, elapsis  
duobus, adhuc per quatuor menses redhibitoria tenebatur. Restitue-  
tur emtor pro rata temporis, ut quatuor menses post restitutionem  
residui continua serie cohærent cum duobus, qui iam ante restitu-  
tionem elapsi essent, quasi numquam mulier intercessisset: et si post  
imperatam restitutionem noua actio indulta videri poterat, cui, in-  
tegro demum spatio exeunte, praescriberetur.

Alteram temporis continui, in seminarum intercessionibus  
obvii, speciem continet d. L. 22. C. ad SC. Vellei. quae fidem a muliere,  
elapo post priorem cautionem ingi biennio, iterum interpositam, omni-

modo ratam esse iubet, siquidem id tempus satis prolixum visum est Imperatori ad fragilitatis suspicionem excludendam.

Cui biennii continui exemplo addere licet duo alia, a locazione conduccione et litterarum obligatione petita, quorum indoles quum e L. 54. §. 1. et L. 56. D. loc. cond. nec non L. 14. pr. C. de non numer. pec. ac §. vn. I. de litter. oblig. plenissime pateat, vix est, ut iis diutius immoremur.

Eodem sensu in L. 4. C. de suscept. Lib. X. anni anniuersarii mentionio facta est, quo transcurso susceptores pecuniae acceptae et expensae rationes reddere coguntur, ut facilius, si quis in furto fuerit deprehensus, recentem queat redintegrare iacturam, non perpetui autem exaltiores teneantur in continuata vexandorum provincialium potestate, velut concussionum dominatione; sed per annos singulos iudicaria sedulitate mutentur.

In primis autem frequens est temporis continui computatio in dilationibus, usucaptionibus ac praescriptionibus, restitutionibus denique in integrum, quatenus nouissimo iure obtinent. De dilationibus dubitare nos non finit L. 3. C. de dilation. Feriae, sive repentinae, sive sollemnes sunt, dilationum temporibus non excipiuntur, sed bis connumerentur: cf. L. 2. C. de temp. et repar. adpell.

*In usucaptionibus mobilium continuum tempus numeratur, testis PAVLLO L. 31. §. 1. D. de usurpat. et usucap. de praescriptione autem longi temporis manifeste idem sanxit IVSTINIANVS L. vlt. C. de praescript. longi temp. dum scientiam vel ignorantiam in ea expedita.*

ri negavit, ne altera dubitationis inextricabilis oriatur occasio. Nec obstat *Nou. CXVIII. c. 7.* quae de rebus, *infcio vero domino, mala fide alienatis,* non nisi *XXX.* annorum spatio praescribindis, loquitur. Vtique enim et tricennalis praescriptio continua annorum serie decurrit: *L. 3. C. de praescript. XXX. vel XXXX. ann. L. 1. §. vlt. C. de annali except.* et quadraginta annorum lapsus, aliquando necessarius, *ingiter computatur: L. vlt. C. de fund. patrimon. Lib. XI.* Similis ratio obtinet in praescriptione quadriennii, qua fiscus, bona vacanta vindicatur, excluditur: *L. 1. C. de quadr. praescr.* nec non intuitu quinquennii, post impletam minorem aetatem computandi, intra quod *maior factus alienationem sine decreto tentata silencio comprobauit: L. vlt. C. si maior factus alienat.* maxime vero circa quinquennium, quo aduersatio adulterii finitur: *L. 11. §. 4. L. 29. §. 5. et 7. L. 31. D. ad L. Iul. de adult. L. 5. C. eod. L. 1. §. 10. D. ad SC. Turpill.* Cuius quidem temporis, auctore *Io. Gvrl. HOFFMANNO Lib. Sing. ad L. Iul. de adult. c. 3. §. 4. p. m. 63.* non per ipsam legem Iuliam, sed per SCtum, *AVGVSTI*, ut videtur, sua su postea conditum, statuti, continua computatio toties inculcata legitur, quia reliqua tempora, in eadem quaestione obseruanda, utiliter numerantur, ut infra dicetur.

Supersunt exempla continui spatii, a *refstitutionis in integrum forma recentiore* petita; siquidem antiquae iurisprudentiae annus utilis magis placuit. Ac praeter tempora, pro locorum diuersitate a *CONSTANTINO M. L. 2. C. Th. de integ. restit. iis, qui per aetatem se*

laesos profitentur, praescripta, quibus IUSTINIANVS L. vlt. C. de temp. in int. ref. quadriennium continuum substituit, in primis hue pertinet biennium continuum, intra quod actionem de dolo moueri CONSTANTINVS L. vlt. C. de dolo malo iussit. Neque enim ex die, quo se quisque admissum dolum didicisse commemorauerit, neque intra anni vitis tempus (vt olim ex L. 35. pr. D. de O. et A.); sed potius ex eo die, quo adseritur commissus dolus, spatium experiundi currit, ob indolem puta actionis, quae famam rei fugillat: L. I. §. 4. L. II. §. 1. D. de dolo malo.

Atque in his exemplis omnibus continuum spatium ita computatur, vt serie dierum, nec per ignorantiam, nec per alijud impedimentum interrupta, decurrat. Vnam obseruau temporis continuu speciem, laxius computandam, quam PAVLLVS L. 31. D. ad L. Iul. de adul. postquam quinquennium, adcautionibus adulterii prae- finitum, continuo numerandum esse monuit, his verbis exhibet: quid ergo fiet, si prior mulier rea facta sit, et ideo adulter eodem tempore reus fieri non potuit, et diu tracta lite quinquennium transferit? quid, si is, qui intra quinquennium quem postulauerat, non peregerit? aut praeuaricatus est, et alias eundem repetere velit, et quinquennium transactum sit? aequum est, computationi quinquennii eximi id tempus, quod per postulationem praecedentem consumtum sit. Tres potissimum adferuntur caussae, ob quas quinquennii computatio relaxatur. Prima explicanda est ex eo, quod adulterii reos marem et feminam ex eadem caussa simul facere vni eidemque adcautori non licuit: L. 8. C.

**C. eod.** cf. HOFFMANNI Lib. laud. c. 6. §. 9. p. m. 133. Ergo dum mulier postulabatur, adulterum eodem tempore aduersari nefas visum est: vnde facile fieri potuit, vt, diu tracta lite, quinquennium transiret, antequam crimen aduersus marem intentari posset. Altera et tertia causa ponunt aduersationem aduersus adulterum intra quinquennium coeptam, sed per tergiuersationem vel praeuaricationem intermissam, quae alium aduersatorem magis idoneum impediuit, quo minus eodem tempore eundem reum postularet. Neque enim permisum est pluribus eundem reum facere, vt adeo aliis, qui post maritum et patrem aduersare possunt, ad aduersandum prosilientibus, is, cuius de ea re notio est, de iusto aduersatore constitueret: *L. 2. §. vlt. D. eod.* nec obstat, libellos oblatos esse a pluribus, quum unus modo possit perseuerare: *L. 29. §. 8. D. eod.* Fecit igitur, quinquennio nondum praeterlapsi reum postulatum esse ab aliquo, qui postea desistebat, vel tamquam praeuaricator submotus fuerat, quim contra alius aduersator reum facere perseuerauerit, qui tamen, prioris iniuria impeditus, elapsi demum quinquennio postulare cooperat. Quaeritur, vtrum lapsus quinquennii aduersationem citra aduersatoris culpam protractam sistat? PAVLLO vero ob illas tres caussas *aequum* visum est, computationi quinquennii eximi id tempus, quod per postulationem praecedentem consumtum sit; quae sententia vt concilietur loco VLPIANI in d. *L. 29. §. 8. hoc amplius SCto adiecit est: ut si plures eundem postulauerint, eius, qui perseuerauerit reum reamue facere, postulationis dies prima exigatur:*

*scilicet ut, qui accusat, suos libellos accusatorios expedit, non alienos, sciendum est, in nostra specie sermonem esse de adiutorio, praecedentis postulationis mora impedito, VLPIANVM vero loqui de eo, qui suae morae poenas dederat. Latet proinde in PAULLI decreto plane singulare computationis continuae exemplum, quod perperam GLOSSA retulit ad tempus initio utile, progressu continuum a quo errore ne ipsum quidem WESTENBERGIVM l. l. Diff. XXXXII. §. 6. p. 365. sibi causisse animaduerti. Sola enim intermedia tempora exiguntur, quibus per praecedentes postulationes accusationis sollemnia impleri non potuerunt: initium continuo cedit ex die commissi crimini.*

### CAP. III

*Temporis perpetuo utilis exempla recensentur.*

*Vitis temporis tres supra distinximus species, quarum prima est eiusmodi, ut e toto spatio legibus statuto omnis generis impedimenta eximantur. Exemplum maxime illustre praebet tempus pertinacae bonorum possessionis, quale ab VLPIANO L. 2. pr. D. quis ordo in poss. describitur: ita autem utile tempus est, ut singuli dies in eo utiles sint: scilicet ut per singulos dies et scierit et potuerit admittere; certum quacumque die nescierit, aut non potuerit, nulla dubitatio est, quin dies ei non cedat: cf. §. 6. I. de bon. poss. Itaque primum seire debet is, qui admittere vult bonorum possessionem, eamdem sibi esse dela-*

delatam, id est, in ea causa bonorum possessionem esse, ut ipse eam  
 adgnoscendo possit adquirere; quemadmodum *delata hereditas* in-  
 telligitur, quam quis potest adeundo consequi: *L. 151. D. de V. S.*  
 Proinde exigitur, ut sciat, eum, de cuius bonis agitur, testatum in-  
 testatumque obiisse, et praeterea se ad cius bonorum possessionem  
 vocari ex iis causis, ex quibus successiones Praetoriae deferuntur:  
*L. 10. D. de bon. poss. cf. §. vlt. I. de hered. qual. et differ.* Quodsi  
 quis aliquid eorum ignorauerit, ei tempus legitimum non cedit,  
 dummodo in facto, non in iure errauerit: *d. L. 10. L. 5. et 6. C.*  
 qui admitt. ad bon. poss. ut adeo, quum quis initio sciuerit, se voca-  
 tum esse, postea vero nescire coepit, ei tempus adgnoscendae bo-  
 norum possesionis non currat: *veluti si, quum initio cognouisset,*  
*eum intestatum decisisse, postea quasi certiore nuntio adlatu dubitare*  
*coepit, numquid testatus decesserit, vel numquid viuat, quia hic rumor*  
*postea perreperrat: d. L. 2. pr. D. quis ordo in poss.* Pergit **VLTIA-**  
**NVS**, idem et in contrarium accipi posse, vt, qui ignorauerit initio,  
 postea scire incipiat: nemini enim, nisi scienti tempus cedet. *Sci-*  
*tiam autem eam obseruari vult, auctore POMPONIO, non quae cadat*  
*in iurisprudentes, sed quam quis aut per se, aut per alios adsequi po-*  
*tuerit, scilicet consulendo prudentiores, ut diligentiorum patrem familias*  
*consulere dignum sit: d. L. 2. §. vlt. cf. d. L. 10. D. de bon. poss.* Ac  
 requiritur sola scientia eius, cui delata est bonorum possessio; siqui-  
 dem nec scientia alterius nocet, nec ignorantia eiusdem prodest;  
*L. 5. D. de iur. et facti ignor.* Quod quomodo ad bonorum posses-  
 sionem

24

sionem transferri oporteat; tum e. L. 3. et 5. D. quis ordo in poss.  
seru. patet; tum ab EM. MERILLIO Lib. V. Obſt. c. 2. et Lib. I. Va-  
riant. ex Caiacio c. 43. adcurate expositum est; qui in primis in eo  
adlaborauit, vt dicta loca conciliaret Legis 7. §. ult. D. de bonor. poss.  
Illud vero singulare est et, ceu recte monuit HVGVS DONELVS ad  
L. 3. C. qui adm. ad bon. poss. in Opusq. postumis p. 33. utilitatis  
cauſa introductum, quod tutor infantis et curator furiosi nomine  
bonorum possessionem adgnoscere possint, quamvis ipſi, infans vel  
furiosus, delatam sibi esse hereditatem, ignorent; d. L. 7. §. 1. L. 1.  
D. de bon. poss. furios. L. ult. §. 3. et 7. C. de curat. furios. vel prod.  
Verum nec his omisſa a tutoribus vel curatoribus petitio quidquam  
nocebit, si modo ad aliquem rationis vſum peruererint: d. L. 1. D.  
de bon. poss. furios. Quemadmodum autem scientia eius, qui bono-  
rum possessionem admittere cupit, ad temporis praeſiniti decurſum  
exigitur: ita nec petendi facultas ſcienti deesse debet, que non fo-  
lum vniuerſe intelligitur ex indeole temporis vtilis, ſupra deſcripta,  
et generalibus VLPIANI verbis, in d. L. 2. pr. D. quis ordo in poss.  
expressis, fed etiam illuſtrari potest exemplo ventris in possessionem  
miſſi, quo nondum edito cedere bonorum possessionis tempus fe-  
quentibus, IDEM §. 4. d. L. negauit. Similiter nec absentia, nec aliud  
quoduius impedimentum, propter quod heres ius ſuum intra tempus  
praeſinitum persequi non potuit, obesse ei dicitur in L. 8. C. qui  
adm. ad bon. poss. Aliquando, fed rarius, et, quantum ſciam, in ſola  
Carboniana bonorum possessione decretali fit, vt heredis facultas eam-

dem

dem accipendi ab aduersarii copia quodammodo pendeat, qui controverson petituro debet mouisse, antequam locus sit bonorum possessioni. Quo respexit **VLPIANVS** L. 3. §. vlt. D. de Carbon. ed. dum Carbonianae possessionis spatium impuberi filio ex eo tempore currere respondit, ex quo controverson sibi fieri cognoverit. Id vero in omni bonorum possessione observatur, ut Praetoris vel omnino eius, cuius ea de re notio est, aedendi facultatem habuerit is, qui admittere eam velit: quae potestas diuerso modo accipitur, prout de pleno bonorum possesso peti potest, vel causae cognitionem pro tribunal aut decretum exposcit. Nam si de pleno admittitur, non possessionum dies numerabuntur: d. L. 2. §. 1. D. quis ordo in poss. sed it, quibus magistratus in publico sui copiam fecit: L. 1. §. 9. D. quando adpell. Contra si causa cognita bonorum possesso detur, non alibi dabitur, quam pro tribunali, quia neque decretum de pleno interponi, neque causa cognita bonorum possesso alibi, quam pro tribunali dari potest: L. 3. §. 8. D. de bon. poss. unde hic sessio- nes erunt nobis computandae, quibus sedit is, quibusque per ipsum Praetorem factum non est, quo minus daret bonorum possessionem: d. L. 2. §. 1. Neque enim in bonorum possessione, quae pro tribunali datur, sufficit, Praetorem se dedisse pro tribunali, sed, postula-tionibus quoque vacauerit, necesse est: unde negatur tempus ad bonorum possessionem cedere, quum Praefes aliis rebus, aut militari- bus, aut custodiis, aut cognitionibus fuerit occupatus: §. 2. d. L. Ac tanta fuit iCtorum in hoc spatio computando aequitas, vt, si Praef-

*ses provinciae in proxima fuerit ciuitate, adcedere debet ad vilitatem temporis ratio itineris, scilicet numeratione viginti milium passuum facta; nec enim exspectare debemus, ut praeses provinciae veniat ad eum, qui bonorum possessionem petiturus est: §. 3. d. L. De trita temporis, prout vel liberi et parentes, vel extranei bonorum possessionem petunt, diuersi, dimensione nihil addo, quam SCIP. GENTILIS Tri de scientia heredum c. 3. part. 2. p. m. 34. ex veteri more cretionis sumtam esse, eleganter obseruavit.*

*Porro omnis restitutio in integrum (excepta ea, quae ob capitatis deminutionem locum habebat, vt pote perpetua: L. 2. §. vlt D. de capite min.) olim intra annum vtilem petenda erat, cuius exempla manifesta existant in L. 14. §. 2. D. quod metus cauff. L. 19. D. de minor. L. 1. §. 1. et L. 28. §. 3. 4. D. ex quib. cauff. mai. L. 4. C. de his, quae vi metusue c. L. 1. 2. et 3. C. de restit. mil. et L. 18. C. de possim. reu. additis locis, quae, quam simpliciter anni mentionem faciunt, vtilem indicant, vt L. 6. D. de alienat. iudic. mut. cauffa f. et L. 35. pr. D. de O. et A. Originem eius temporis nescio an BRISONIVS Lib. III. selebit. ex iure ciu. Antiquitt. c. 2. recte repetierit ex lege Laetoria, quam ea non omnibus minoribus, quacumque ratione laesis, subuenierit, sed dumtaxat iis, qui dolo malo damnum passi, reliquis vero Edictum Praetoris auxilium praefliterit: v. IO. HIER. HETZERI Diff. ad legem Laetorianam §. 11. not. d. in DAN. FELLENBERGII Jurisprud. antiquae T. II. p. 616. Vnde mallem, vt plurima, quae in minorum restituzione occurrunt, ita in primis tempus tum*

tum eius, tum ceterarum restitutionum ad Edicti beneficia referre,  
 ne abnuente quidem VLPIANO ipso, qui in L. 1. pr. D. de minor. omnem  
 tutelam minoribus promissam Praetoris aequitati tribuit. In com-  
 putando vero anno vtili, restitutionibus petendis statuto, eadem ob-  
 seruata est, quae in omni tempore plene vtili locum habet, ratio,  
 cuius exemplum e multis vnum suppeditat d. L. 28. §. 3. 4. D. ex  
 quib. cauſſ. maior. nisi quod minoribus curreret ab exacto anno vi-  
 cesimo quinto: d. L. 19. de min. cf. L. vlt. pr. C. de temp. in int. refl.  
 maioribus autem, per absentiam laesis, non a die scientiae, sed sub-  
 lati impedimenti, v. c. ex quo quis reuersus esset: d. L. 3. C. de re-  
 flit. mil. L. vlt. C. quib. ex cauſſ. mai. d. L. 18. C. de poſſim. reuerſ.  
 cf. Io. IAC. WISSENBACH ad d. L. vlt. C. de temp. in int. refl. p. m.  
 302. Quumque omnes in integrum restitutiones cauſſa cognita a  
 Praetore promissae sint: L. 3. D. de in int. refl. consequens est, eas non  
 alter esse indultas, quam pro tribunali, et aduocato aduersario, mi-  
 nime vero per libellum, id est, de plano, atque absente aduersario,  
 fieri potuisse: v. NOODT ad tit. D. de in int. refl. in Opp. T. II. p.  
 m. 82. Vnde hic simili benignae interpretationi locus fuit, quae  
 modo in bonorum possessionibus obseruata est, quod fessionum tan-  
 tum dies in restitutionum tempore commumerarentur, quibus Prae-  
 tor poſtulationibus vacasset, non vero singuli, quibus sui copiam in pu-  
 blico fecisset. Atque ex hac temporis ad restitutionem dati compu-  
 tatione venit etiam illud, quod nuptiae inter tutorem curatoremue  
 ac pupillam, vel eam, quae sub cura fuit, ante compleatum aetatis

28

tempus irritae viderentur: *L.* 62. §. vlt. *D.* de ritu nupiarum, quod spatiū HENR. BROVWER *Lib. II.* de iure connub. c. 20. §. 4. male accepit de anno vicesimo sexto coepito, quo cura finitur: quum meliora eum docere potuissent *L.* 28. §. 3. *D.* de liber. et posthum. et *L.* 6. *C.* de interdicit. matrim. Qui enim in *L.* 66. pr. *D.* de ritu nupt. et *L.* 7. pr. *D.* ad *L.* Iul. de adulst. memoratur annus vicesimus sextus, quo demum elapso pupilla potest vxor duci a tutori vel curatore, intelligendus est de anno utili supra vicesimum quintum completum, vt CVIACIVS *Lib. II.* Obff. c. 18. et FRANC. BALDVINVS *Lib. III.* Iustiniani p. 257. sq. dudum monuerunt.

*Vt*ilis quoque fuit annus in annali exceptione Italici contraetus, quam ob moles altercationum super ea exortarum IUSTINIANVS *L.* 1. *C.* de annali extrept. sapienter sustulit. Ex afflictionibus Prætoriorum, quae anno utili circumferisci expresse dieuntur, occurrit primum *actio de calunnia*, quae, quatenus intra annum instituitur, quadruplo locum facit. Annus vero ei, qui dedit pecuniam, ne secum ageretur, ex eo tempore cedit, ex quo dedit; contra ei, quocum ut ageretur, alias pecuniam dedit, non ex die datae pecuniae, sed ex eo demum tempore imputatur, ex quo cognouit, datum esse: *L.* 6. *D.* de calumniat. In quadruplum porro intra annum utilem ei, cui res abeat, aduersus eum, qui ex naufragio vel incendio cepisse, vel in his rebus damni quid dedisse dicitur, actio est prodita: *L.* 1. pr. *D.* de incend. ruin. naufrag. *L.* 18. *C.* de furt. qualis etiam est *actio vi bonorum raptorum* secundum *L.* 2. §. 13. *D.* vi bon. rapt. sive contra

contra eum, qui ipse id fecisse dicitur, siue contra dominum serui, tamquam noxialis, instituatur: *L. 4. C. de noxal. act.* Dupli vero iudicium intra annum, quo priuum experiundi potestas fuit, Praetor dedit tum aduersus eos, quorum dolo malo *in turba damnum* quid factum esse dicitur, *L. 4. pr. D. eod.* tum aduersus seruum testamento *manumissum*, qui post mortem domini, ante aditam hereditatem in bonis hereditariis dolo malo effecit, quo minus ex his bonis ad heredem aliquid perueniret: *L. 1. pr. D. si is, qui testam. lib.* Eiusdem indolis, nec tamen ad duplum comparata est actio *de peculio*, quae post mortem hominis alieni iuris, vel postquam emancipatus, manumissus, alienatusue fuerit, temporaria esse incipit: *L. 1. pr. et §. 2. D. quando de pecul. act. annal. cf. L. 1. §. 1. D. de in rem verso;* quare, et si conditionalis sit obligatio, tamen ex eo computandus est annus, non ex quo emancipatus est, sed ex quo peti potuit conditione existente: *d. §. 2. L. 1.* Quo sensu etiam anni utilis mentio facta est in *L. 17. pr. D. de casis. per.* Denique et actioni in factum aduersus mulierem, quae ventris nomine per calumniam in possessione esse dicetur, annus utilis praescribitur in *L. vn. §. 3. D. si mul. ventr. nom. in post. cal. t. effe dic.*

*Non minus interdictorum plerumque ea est ratio, ut anno utili finiantur; v. c. unde vi: L. 1. §. 39. D. de vi et vi arm. L. 2. C. unde vi; vel uti possidetis: L. 1. pr. D. vti possid.*

*Supereft XXX. dierum utilium, qui post factam abolitionem aduersatoribus reos repetituris cedunt, interpretatio. Eorum qui-*

dem varia' est obseruatio, prout abolitio vel ex lege venit, vel publice facta est. Triplex enim, non duplex, quod vulgo statuunt, abolitionis genus distinguendum esse docuit *Ext. CAR. GOTTE. SCHREITER* in *Diss. de abolitione veteri et hodierna*, *praeſide Io. THEOPH. SEGERO* defensa, §. 7. *sqqq.* De legitima abolitione, quae adculatore mortuo, vel ex iusta cauſa impedito, locum habet, et procul dubio legi Iuliae de vi, et Senatusconsulto ad eam legem condito debetur, intelligendi sunt XXX. illi dies utiles, quos *PAVLVS L. 3. §. vlt. D. de adculat. et inscript.* adculatoribus cedere prouin-  
tiauit, ut ex integro reumi repeatant. Hos igitur a comperta prioris adculatoris morte, vel sublato impedimento currere existimauerim. Ad publicam vero, quae ob diem insignem, aut publicam gratulati-  
onem, aut ob rem prospere gestam decernitur (*L. 8. et 9. D. ad SC. Turpili.*), pertinet benigna *TRAIANI* interpretatio, ex qua XXX. dies  
repetendis reis praefituti ab eo die currunt, quo feriae finitae sunt:  
addita Senatusconsulto sanctione, ne alii dies cedant, quam quibus  
quisque reum suum repetere possit: *L. 10. §. 2. D. eod.* Vnde  
*PAPINIANVS*, facta harum legum mentione, repetendi rei tempus  
negavit aliter cedere, quam si adculator quoque adire potuerit: *d.*  
*§. 2. L. 2.* Quod tamen non, ut quidem putant, ob aquandam  
iuris rationem decretum est, quoniam totidem dies reis e longinquo  
deducendis ad res suas antea disponendas, dabantur: siquidem *THEO-*  
*POSIVS* primus id laxamentum XXX. dierum reis indulxit: *L. 3. C.*  
*Th. de exhib. reis, Lib. VIII, sed forte ex more antiquissimo Ro-*  
*mano-*

manorum venit, quibus idem interuallum ad multas caussas forentes perficiendas aptissimum viuum est; qualis est *XXX. dierum iustorum*, per *XII. tabulas definitorum*, obseruatio. Eatenuus autem differt utriusque spatii, abolitionem subsequuti, computatio, quod post legitimam abolitionem alii dumtaxat licet, reum repetere: *d. L. 3. §. vlt. D. de accusat. et inscript.* post publicam iidem accusatores intra tempus statutum admittantur: *d. L. 10. §. 2. D. ad SC. Turpili.* Plura ne addam prohibet opera, a *Io. Avg. BACHIO in D. Traiano p. 126. sqq.* huic loco nauata.

**Tempus ab initio utile, progressu continuum, exemplis illustratur.**

Minorem utilitatem praefat tempus, quod, licet a die scientiae vel impedimenti sublati primum currat, tamen, ubi semel coepit, perpetuo computatur, nullo proorsus interuallo exempto. Vnde id genus temporis modo utile, modo continuum solet appellari, prout vel ad initium, vel ad progressum respicitur. Praecipua autem exempla haec sunt. Tutoribus et curatoribus ad allegandas excusationes dati sunt quinquaginta dies continui, ex quo cognouerint, tutelam vel curam sibi esse delatam, dummodo intra centesimum lapidem absint a loco, ubi tutores dati sunt. Si vero ultra centesimum lapidem habitant, in unamquamque diem numerantur vi-ginti millia passuum, adiectis triginta diebus, qui tamen sic debent

com-

■ ■ ■ ■ ■

emputari, ne minus sint, quam quinquaginta dies. Quas tempora  
tis computandi ratio et si notissima est ex §. 16. *I. de excusat. tut. L.*  
*L. 13. §. 1. 2. et 9. D. eod. et L. 6. C. eod.* tamen eget aliqua interpretatione,  
in primis contra **GE. CHRISTI. GEBÄVERVM** facienda,  
qui ceteroquin huic argumento in *Excurſu VI. ad Inst. adi. EIVSDEM*  
*Ordini Inst. p. 334 sqq.* plurimum lucis adſudit. Putat autem vi  
doctissimus, tempora excusationibus tutorum et curatorum oppo  
nendis statuta conuenire foliis iis, qui a magistratibus dantur, aut  
certe, tamquam testamentarii, minus recte dati, confirmantur; mi  
nime vero omnibus testamentariis, aut legitimis. Iam quamquam  
ex ipsis legibus certo non constat, in legitimos tutores cadere ea,  
quae de excusationum temporibus cauta sunt; quantumvis proba  
bile sit, nec hos cunctari ultra modum potuisse: (quam conieeturam  
expressis verbis adiuvat **THEOPHALVS ad d. §. 16. 1.**) tamen ad quos  
vis tutores testamentarios, sive iure datos, sive confirmatos, tempe  
ſtiaue excusationis necessitatem pertinuisse, plenissime patet ex d.  
*L. 13. §. vlt. D. de excus. et L. 6. C. eod.* Nec obstat §. 1. *extremi*  
*d. L. 13.* vtpote quae, quatenus confirmationis meminit, non tam  
de tutoribus, quam de curatoribus testamentariis, a magistratu con  
firmatis, est accipienda. Vnde, quum tempus praescriptum ex eo  
currat, ex quo cognoverint tutores, se datos esse, testamentariis  
quidem cedit ex eo die, quo testamentum parentis, datius autem  
quo decretum Praetoris ipsis innotuit: d. *L. 6. C.* quale decretum  
vel in faciem vel ad domum manifestari oportuit, secundum d. §. 1.  
*L. 13.*

*L.* 13. Neque vero tanta est legum, id spatium introducentium, seueritas, ut, elapso tempore constituto, excludant eum, qui propter aegritudinem vel aliud impedimentum graue venire intra illud non poterat: *d. L.* 13. §. 7. quare id non solum a die scientias, sed etiam ab impedimento sublatio cedere dicendum est.

Quae vero de continuo quinquaginta dierum spatio decreta sunt, ea, teste PAVLLO *Lib. II. Sentt. receptt. tit. 27. §. 2.* (quod fragmentum excerptum est in *L.* 38. *D. de excus.*) pertinent tantummodo ad *controversias excusationum causas: peragendo enim negotio ex die nominationis continui quatuor menses constituti sunt.* Ea aliud exemplum nostrae computationis! Nam etsi GEBAYER *I. I. §. 1. p. 336.* diem nominationis voluit esse eum, quo tutor causas excusationis adlegavit: tamen loquendi usus Iurisconsultis familiaris huic interpretationi vehementer repugnat. *Nominari enim semper intelligitur tutor, quum a magistratu ad tutelam vocatur: L. 14. C. de excusat. tut. L. 1. C. de magistr. conuen. numquam excusationis causa, quae potius dicitur adlegari, L. 31. pr. D. de excus. vel proferri L. 39 eod. vt mittam alias formulas, a BRISSONIO *Lib. V. de V. S. v. excusatio,* diligenter expositas. Adcedit, quod PAVLLVS additus suisset vocem: *alii continui quatuor menses, si eos ab adlegatione excusationum connumerari voluisse: quemadmodum id factum esse videmus in L. ult. §. 2. C. de iure deliber.* Ergo et hoc tempus, deducendis ac probandis excusationum causis praescriptum, ab initio est utile, recursu vero, instar quinquaginta illorum, quos*

E

modus

modo indagauimus; dierum, continuum; et *ex die nominationis* erit i. q. *ex die compertae nominationis*, nisi velimus absurdum quid statuere, et tempus, *adlegandis excusationibus datum*, nonnumquam prolixius singere eo, quod demonstrandis iisdem sit indulsum. Quam difficultatem sensit iam **GLOSSA** ad nostrum **PAVELI** locum, eodemque quo nobis visum est, modo expeditius. Ac profecto ista interpretatio nascitur iisdem aequitatis principiis, quae **TRYPHONIUS** in *lege sequente* ante oculos habuit, dum eum, qui, quum ipso instituerit, ut proferret excusationem (*subintellige: ac probaret intra quatuor mensis*), mora contradictionis impeditum, etiam post illud tempus probatione defungi pronuntiavit.

*Qui tabulis testamenti aperiendis, auctore PAVELLO Lib. IIII. Sentt. receptt. tit. 6. §. 3. in gratiam absentium statuti sunt tres vel quinque dies, quum superuenient, præbent et ipsi exemplum computationis ab initio utilis, postmodum continuae; si quidem absentibus et hic, plane ut tutoribus excusationes adlegaturis, in vicena millia passuum singuli dies dantur ad iter faciendum: quod ex inscriptione L. 154. D. de V. S. ingeniose coniecit CVIACIVS ad Pauli L. I. in SCHVLTINGII Inrispor. Anteiusl. p. 403.*

Similem speciem exhibet duplex **IUSTINIANI** constitutio, in tit. **C. de iure delib.** obvia. Ac L. 19. quidem *transmitti* iubetur hereditas, etiam nondum adita, a quibusvis heredibus, si intra annale spatium, postquam cognoverint, hereditatem vel ex testamento, vel ab intestato sibi esse delatam, decesserint: L. 22. autem §. 2. et 3. præ-

praescribitur tum tritum illud spatium XXX. dierum, inchoando inuentario aptum, quod scientibus, se ad hereditatem vocatos esse, currit: tum interuallum aliorum LX. dierum, confiendo eidem datum, quod, quum ab illius lapsu pendeat, potest et ipsum quodammodo dici utile, siquidem prioris spati utiles est obseruatio, licet aenide utrumque continuo computetur.

Aliud exemplum peto ex L. 2. §. 1. et 2. D. de collusione deteg. qua quinquennium detegendis post sententiam collusionibus datum continuum dicitur, sed quod, sicut impuberis collusio sit retractanda, ob differendam in tempus pubertatis retractationem non currat.

In primis quadriennii, in iure nouissimo restitutionibus in integrum praescripti, ea est indeles, ut, excepto spatio minoribus concessa, quod, ut supra vidimus, perpetuo continuum est, demum a die scientiae vel ab impedimento sublatu cedat, sed postea continuo currat: L. vii. C. de temp. in int. rest. Caussam mutandae iurisprudentiae antiquae dederat CONSTANTINI M. constitutio, iam cap. III. cominemorata, quae ex locorum differentia induxerat dissenimen temporis restitutionibus minorum dati. Quod quum absurdum visum sit IUSTINIANO, in locum anni utiles substituit quadriennium continuum, non in minorum solum, sed etiam in maiorum restitutionibus obseruandum, idque ex eodem, ex quo olim annus utiles currebat, tempore computari iussit: quare, quae supra de anno restitutionum utili ex iure antiquo monui, nolo repetere. Duo autem quae adhuc possunt: primum cum quadriennium Iustinian-

neum omnibus restitutionum caussis conueniat? deinde, quomodo intelligenda sint verba *d. L. memorata continuatio temporis obseretur ad interponendum contestationem finiendamque litem?* Vtraque quaestione P. P. H. DE DOMPIERRE DE IONQVIERES in *Spec. de restitutionibus in integrum tit.* I. §. 36 — 38; p. 42. *sqq.* sic defunctus est, vt sere nihil habeam, quod addam. Inuisit enim argumentis docuit vir doctissimus, quadriennio locum esse in omnibus restitutionum generibus, in quibus olim annus utilis obtinererit, vt proinde duplex tantum excepta sit restitutio: altera, quae fit propter dolum malum, altera, quae ob capitis diminutionem decernitur; verborum autem, quae ad finiendam intra quadriennium litem respiciant, eam esse vim, vt controuersia reparandae laesioris caussa non solum inchoari intra quadriennium, sed etiam decidi et ad finem perduci debeat. Quae interpretatio nullam prae se fert iniquitatis speciem, nisi in restitutione maiorum, qui de injuria per absentiam sibi facta, ex quo reuersi sunt, serius conquelli, lapsu ante caussam cognitam reparandae iniuriae quadriennio ab omni spe facile excludi possunt. Reliqui enim, quibus a die scientiae currit quadriennium, sibi ipsis imputent necesse est, quod non citius iudicem adierint; quum pro iudiciorum Romanorum more lis intra quadriennium componi sine negotio potuerit.

Denique et *adpellacionum tempora*, ethi continuo currunt, tamen quodammodo ab adeundi iudicis facultate pendent; vnde VI. *PIANVS L. I. S. 7. D.* quando *adpelland.* hos dies scite vocavit *ad*

ali-

*aliquid utiles, si forte eius, a quo prouocatur, copia non fuerit, vt ei libelli darentur. Quibus vero spatiis adpellationes fuerint circumscriptae, quum praeter BRISONIVM Lib. II. Selebit, ex iure ciui. Antiquiss. c. 19. WESTENBERGIVS in D. Marco Diff. XXXXII. §. 3. p. 364. clare docuerit, solus computandi ea tempora modus ad nos pertinebit. Itaque quum quaesitum esset, quales dies intelligi oportet, D. MARCVS oratione dubium illud sustulit, et voluit dies esse utiles, quatenus adeundi iudicis, a quo prouocaretur, facultas fuisset. Vila est autem sufficere eiusmodi aditio, quae per libellos fieret: d. §. 7. nec opus fuit, vt magistratus pro tribunalii sederit, dummodo in publico sui copiam fecerit: §. 9. d. L. I. Si quis ipsius quidem, a quo adpellavit, adeundi facultatem non habuit, eius autem, quem adpellavit, habeat copiam, videndum est, an ei praescribi possit, quod eum non adierit? Et hoc iure utimur, ait VLFIANVS §. 10. d. L. I. vt, si alterutrius adeundi fuit copia, praescriptio locum habeat. Si vero aduersus absentem fuerit pronuntiatum, non solum iudicis adeundi potestatem, sed et ipsius, qui provocatus est, scientiam spectari, manifeste docent §. vlt. d. L. I. L. 3. C. quomodo et quando ind. et L. 4. C. de liber. caiffa, vt proinde tempora adpellationis ex eo, quo quis sciat, non, ex quo pronuntiatum sit, computentur. Quod etiam obtinet tum in decendio, a IVSTINIANO Nou. XXIII. c. 1. in locum bidui et tridui antiqui substituto, de cuius computatione videndum est CONR. RITTERSHV- SIVS in Iure Iustinianeo P. X. c. 1. §. 6. tum in prolixiore duorum*

mensium spatio, istra quod interponenda est appellatio ab euocatis  
ad Duumiratum vel munus aliquod, dummodo per absentiam no-  
minati sint: nam praesentibus statim debet id interuallum compu-  
tari: *L. i. C. de temp. et reparat. appellat.*

## CAP. VI

*Temporis vitis, quod ab ipso facto computatur, species existentur.*

Supersunt exempla eius computationis, quam rarius ab interpretibus obseruari memini, dum plerique eam cum tempore plene utili confundunt. At volunt nonnumquam leges spatium aliquod, et si quoad dies, quibus absoluuntur, utile, tamen ex ipso facto, a quo pendeat, ita currere, ut etiam ignorantia cedat. Iusmodi sunt tempora, aedilitiis actionibus praescripta, quae modo anno, modo sex mensibus, modo sexaginta diebus utilibus includi, ex L. 19. §. vlt. L. 28. L. 31. §. 22. et L. 38. pr. D. de aedil. ed. abunde constat. Communem vero horum temporum esse indolem, ut ex die venditionis, vel dicti promissione currant, non ex die scientiae, h. e. comperti uitii, probatum ex d. L. 19. §. vlt. j. L. 20. ead. tum in primis ex L. 2. C. de aedil. actioni. quibus, admissa hac interpretatione, optime respondet L. 55. D. eod. dummodo eam de huiusmodi vitio accipias, quod, absconditum prorsus et latens, etiam diligentissimi emitoris

vigi-

vigilantiam intra praesitutum tempus fugere possit. Nam in hac  
fola specie prudentum aequitas recessit ab feueriori computatione,  
et ignorantia succurrat, plane ut in L. 15. §. 5. D. quod vi aut clam,  
quam infra illustrabo; in reliquis caussis, quae facilius cognosci  
queant, noluit dissolutam ignorationem emtoris excusari. Quam-  
quam antem VLPIANVS in d. §. vlt. L. 19. de solo redhibitionis tem-  
pore cogitauit, dum id ex die venditionis, aut, si dictum promissum  
ve quid sit, ex eo, ex quo dictum promissum sit, currere monuit:  
tamen, quum Aediles de triplici spatio in d. L. 38. pr. prorsus aequa-  
li ratione edixerint; nec alienum a vero sit, quod in pinguiori in-  
dicio redhibitorio obtineat, idem etiam ad actionem quanti minoris,  
multis modis illo inferiorem, sine periculo transferri posse; denique  
GORDIANVS in d. L. 2. C. de aedil. aet. actionem quanti minoris  
post anni tempus prorsus exsulare rescripsit, quamvis vitium de-  
mum exacto anno adparuerit; nullus dubito, quin et actionis quanti  
minoris spatium ab ipsa venditione, non ab auctoris scientia sit com-  
putandum. Praeterea sauet quodammodo huic interpretationi re-  
censio eorum, quae ex d. L. 31. §. 22. in caussae cognitione versan-  
tur, si praeterit tempus sexaginta dierum, ab aedilibus praefinitum;  
quando res sub lege redhibendi, nisi placuerit, vendita est. Ibi  
enim mora quidem et absentia aduersarii ad impedimenta legitima re-  
feruntur, minime vero vitii ignoratio. His ego argumentis addu-  
ctus contra communem opinionem censeo, actionum aedilitiarum  
tempora ita computari, ut statim ab ipsa venditione currant, exenti  
tamen.

tamen diebus, quibus vel aduersarii, vel iudicis culpa agi non potuit, vel etiam, quibus actor, siue sciens, siue ignorans vitium, iusta ex causa ipse impeditus experiundi potestatem non habuit.

Aliam speciem huiusmodi computationis sistit L. 24. §. 1. D. de liber. causa, vbi in actionibus annuis, quatenus ab eo, qui de statu suo litigat, aduersus eum, qui se dominum esse dicit, instituantur, annus ab ordinata liberali causa, acceptoque iudicio currere declaratur. Quod igitur alioquin plenam utilitatem in se continet actionum annuarum spatium, id in hoc exemplo paullo strictius computatur, quem satis indultum sit litigatoribus, quod per causam liberalem ab experiundi potestate non penitus arceantur.

Nec aliena videtur ab hoc loco indoles astionum, quibus, quae in fraudem creditorum alienata sunt, intra annum, quo experiundi potestas fuit, reuocari possunt: L. 1. pr. et L. 10. pr. D. quae in fraud. credit. De singulis enim VLPIANVS in L. 6. §. vlt. et L. 10. §. 18. D. eod. monuit, annum utilem computandum esse ex die venditionis bonorum, non factae vel compertae alienationis fraudulentiae, quod IO. VOETIVS ad d. tit. D. §. 13. T. II. p. m. 685. recte animaduertit.

*Interdiuum quod vi aut clam anno spatio, intra quod experiundi potestas fuerit, includi, manifesti iuris est: L. 1. pr. et L. 15. §. 3. D. quod vi aut clam. Annus autem cedere incipit, ex quo opus perfectum est, aut fieri deficit, licet perfectum non sit: d. L. 15. §. 4. nisi vel magna et iusta causa ignorantiae interuenerit, qualis admittitur, si opus factum*

factum est in loco, qui non facile solet adiri, vel interdicto uti post redditum velit is, qui reipublicae causa abfuerat: utriusque enim impedimenti nomine et post annum interdictum competit: d. L. 15.

§. 5. et 6.

Restat, vt, quatenus tempora, per legem Julianam adulterii vindicandis praescripta, utiliter currant, exponatur. Sane Imperatores **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS** L. 21. C. ad L. Iul. de adulterio rescripsierunt: *Ob commissa adulteria atque aduersandas uxores certa tempora, quae utiliter computari solent, praescripta sunt. Si igitur per occupationes publicas accusationem insituere non potuisti, nec antea creditum tibi munus praescripta tempora transiusta sunt: post depositam sollicitudinem, qua detineris, integrum aduersandi potestatem habebis.* Aliud impedimentorum genus ex illo temporum cursu eximi vult **PAPINIANVS** L. 11. §. 5. D. eod. *Quidam accusare volebat adulterii mulierem, et postulabat, ne sibi computarentur dies, quos in custodiam fecisset; me hoc admittente exsilit, qui mihi contradiceret: cuius opinionem an tu probes, rogo matrius mihi scribas? Respondit: opinionem tuam et verba legis et sententia adiuuant: cui placuit, utiles dies accusatori computandos esse, id est, quibus potuit aduersationis solennia implere; quare sine dubio dies, quibus quis in custodia fuit, extra computationem utilium dierum existimanti tibi constitutor, contradici non debuit. Quae duo loca perspicue docent, abesse debere a spatio per agendarum adulterii accusationum id tempus omne, per quod accusator defungi officio suo non potuerit; quod secus esse in praescripta.*

F

scri-

◆◆◆◆◆

scriptione eiusdem criminis quinquennali, supra obseruauit. Nihilo minus cedunt vel vtilia illa L.X. dierum aut sex mensium interualla, prout aut mariti patrisue, aut extranei iure adeufatio instituitur, diuersa, ab ipso diuortio, si nupta, a die commissi criminis, si vidua postulatur: *L.* 14. §. 2. *L.* 29. §. 5. *L.* 30. §. 1. *D. eod.* *L.* 1. §. 10. *D. ad SC. Turpill.* Quumque sex mensium tempus, extraneis indulatum, efficiatur quatuor mensibus vtilibus, post LX. dies, quibus nec vir, nec pater iure suo vni sint, computandis: *L.* 4. §. 1. et *L.* 11. §. 6. *D. ad L. Iul. de adult.* cf. *Collat. LL. Mof. et Rom. tit. 4.* §. 4. ipsi adeo quatuor menses statim incipiunt extraneo cedere, non expetato duorum mensium complemento, si negauerint se pater et maritus adeufaturos intra diem sexagesimum: *L.* 15. §. 5. *D. eod.* Quemadmodum autem in omni tempore vtili exigitur facultas adiundi iudicis, ita et in aduersatione adulterii hoc spectatur, ut in publico sui copiam fecerit is, apud quem reus vel rea postulari possit: *L.* 6. *C. eod.* nisi quod, quum de plano quoque libellus dari possit, etiam feriati dies aduersatori imputentur: *d. L.* 11. §. 6. *D. eod.* Sustulerunt tandem has diuersas adulterii praescriptiones Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, quinquennii tempore per *L.* 28. *C. eod.* ad omnes eius criminis aduersationes ita prolato, ut vtili earum computationi nullus plane relictus sit in jurisprudentia novissima locus.

CAP.

## CAP. VII

*Quo fundamento diuersa temporis continuæ et viuis computatio  
nitatur, disquiritur.*

Expositis iam singulis nostrae computationis exemplis, quotquot in ipsis legibus deprehendere mihi vixit sum, opus est, ut aliqua regula generalis inueniatur, ad quam ea quoque tempora, quae in iure nostro ad unam alteramue speciem disertis verbis non sint reuocata, exigantur. Tentarunt id iam ANT. GOVEANVS Lib. I. Lest. varr. iur. c. 10. et RITTERSHVSIVS in Iure Iuslin. P. VI. c. 8. §. 40. sed eterque, vt videtur, frustraneo conatu. GOVEANVS enim annum, ait, quam dicunt Iurisconsulti, fere utilem accipiunt, hoc est, qui e diebus CCCLXV. utilibus constat. Et mox: eodem modo dies pro diebus utilibus accipi oportet. Eamdem sententiam amplexus DONELLYS Lib. XVI. Comment. iur. cia. c. 8. praecepit, ubique utilem computandum esse tempus, nisi nominativum dicatur continuum: recte hoc nomine reprehensus ab Osv. HILLIGERO in Notis ad Er. Epitom. ibid. litt. E. et ad Lib. I. c. 20. litt. D. Verum, quae ab his adferuntur exempla anni spatii, singula petita sunt ab actionibus Praetoriis, quas anno utili includi manifesti iuris est. Et dies singulos utiliter computari ex testimoniosis, quibus vii sunt, probare profecto haud sustinuissent, nisi hoc aliis in locis expresse cautum animaduerissent.

T 2

Nec

Nec magis placet RITTERSHVSII decretum, secundum quod in actibus extra iudicium celebrandis dies spectantur continui, sicut in judicialibus vtiles. Ergone omnium, quibus in iure expriundum est, actionum tempus erit utile? Sic certe finem non habituiri essent strepitus forenses.

Taceo, quae GLOSSATORES nugati sunt ad L. 8. D. de his qui not. infam. quoties temporis cursus proficit ignorantia, continuum, quoties noceat, utile spatium intelligi dicentes. Imo saepè idem tempus, quod alteri nocet, alteri prodest, ut in adcausatione adulterii.

Rectius de nostri temporis indeole sensit GENTILIS de diuis. temp. adpellatt. c. 14. p. m. 149. dum temporis adpellatione in dubio continuum contineri statuit, nisi quatenus leges expresse praecipiant, spatium utiliter computari; si autem de utili simpliciter dicatur, totum utile adsumi tempus oportere, siquidem nostrum non sit, distinguere. Addidit vir doctissimus pro more seculi sui rationem regulae subtilem et magis, quam veram: quod tempus sit mensura motus, motus vero omnis continuus.

Ego vero quemadmodum normam a GENTILI propositam sequi nullus dubito, ita causas eius ab ipsa computationis origine, quam supra vidimus, repetendas esse censeo. Regula ergo esto: continuum tempus intelligi, si de eius cursu leges expresse nihil sanxerint; utile dumtaxat a iure formam suam accipere; quoties autem leges utiliter computari tempus iussirint, plene id fieri oportere, nisi dis-

fer-

*fertis verbis utilitas eius sit limitata.* Ratio latet in eo, quod continuus temporis cursus naturalis est, nec legum auxilio eget, utilis vero computatio tota Praetorum acquisitati et Prudentum interpretationi debetur; plane ut civilis illa, naturali opposita, quam ex eodem fonte deriuauit RÜCKERVS in *Diff. de ciu. et natur. temporis comp. c. 5. §. 9. p. 20.* Ad communem quidem temporis sensum, diuersum a ciuili eius forma, respexit PAVLLVS in *L. 4. §. 5. D. de statut.* dum quaereret, quomodo annus accipi debeat, si testator scripsit: *Stichus, si heredi meo anno seruierit, liber esto.* Et, auctore POMPONIO respondit, annum videri eum, qui ex continua diebus trecentis sexaginta quinque constet; imputatis anno etiam eiusmodi diebus, quibus aut valetudo, aut alia iusta cauilla impedimento fuerit, quo minus seruiret. Itaque ab hac naturali ratione non temere est recedendum, nisi aut leges ciuilem, id est, utilem computationem adhiberi, clare praeceperint, aut iuris similitudo exigat, ut tempus laxius computetur. Quae iuris similitudo obseruatur in omnibus actionibus Praetoriis anno inclusis, et si Praetor, eas ab experiundi facultate pendere, disertis verbis non edixit: v. g. in §. 5. *I. de action.* *L. vn. §. vlt. D. si quis ius dic, non obt.* *L. 24. D. de in ius voc.* *L. 5. §. vlt. D. ne quis eum, qui in ius voc.* *L. i. § vlt. D. de eo per quem fact. er.* *L. vlt. D. de edend.* *L. 5. §. 5. D. de his qui effud. u. deiec.* *L. 9. §. i. D. quod falso tut. aust.* *L. 14. pr. et L. 16. D. de aqu. et aqu. pluv. arc.* *L. i. pr. D. de publican.* *L. 21. L. 22. §. vlt. D. de liberali cauiff.* *L. i. §. vlt. D. ne ius fiat ei qui.* *L. 9. §. vlt. D. de reb.*

*auctor. iud. poss. L. 5. C. de iniur.* Erit autem tempus utile tum in his locis, tum in reliquis, quae utile computationem nominativum exhibent, plenissime interpretandum, donec legis vel initium, vel cursum eius manifeste mutauerint, quum, probe animaduertente **GENTILI**, nos non deceat distinguere, vbi iura vniuersitatem loquantur. Contra, posito principio illo generali, cetera, quae in iure nostro occurunt, temporis exempla continuo sunt computanda, ut viginti anni in *L. 12. C. ad L. Cornel. de fass.* decennium in *L. 27. C. de testam.* quinquennium in *L. 8. §. 4. C. de repud.* et *L. 2. C. de wedigal.* et comm. quadriennium in *L. 3. C. de quadr. praescr.* annus in *L. vn. §. 7. C. de rei vxor. aet. §. 6. I. de SC. Tertull.* *L. 10. C. de legit. hered.* *L. vlt. §. 3. C. de iure delib.* *Nou. I. c. vlt. L. 3. C. de ex-* sequitor. *Lib. XII. L. 1. §. 3. 4. L. 2. pr. L. 4. pr. et L. 5. pr. et §. 1. D. de requir. vel absent. damn.* duo monesi in *L. 36. C. ad L.* *Iul.* de adult. et XXX. dies in *L. 14. §. 2. C. de non numer.* pcc. ac *L.* *24. C. de adpellat.* Quae exemplorum congeries sexcentis aliis, in quibus legum nostrarum pagina obuiis, augeri poterit.

### CAP. VIII

#### *De usu temporis continuo et utili in iure Iustiniano.*

Quod temporis discrimen, per totum ius ciuile, ut vidimus propagatum, quaeri potest, utrum **IUSTINIANVS** post abrogatam *L. 1. C. de annali except.* annalem Italici contractus exceptionem

nem

nem, mutatumque *L. vlt. C. de temp. in int. rest.* annum in integrum  
restitutionis utilem, in reliquis causis intactum reliquerit? Certe  
difficultas computationis, quam in d. *L. i.* tamquam rationem sub-  
lati iuris antiqui *Iustinianus* adulit, in omnes eius species cadere  
videtur. Nam, ut utar verbis *Baldvini* *Lib. III. Iustiniani p. vi.*  
*256.* non solum, quando Praetor iudicue sedeat, aut sui copiam faciat,  
varie quaerebatur, sicuti et quum quaerebatur de diebus feriatis, festis,  
nafastis, intercisis: sed et praeterea hic quaedam erat quaestio facti,  
an quis alioqui potestate habuerit iuris sui persequendi; neque solum  
per Praetorem, sed et per suas occupationes, conditionemue suam id  
potuerit. Inde illud spatium annale aliij quidem ita effuse interpreta-  
bantur, ut posset usque ad decennium extendi. Alii iudicantes usque ad  
quinquennium flandum esse putauerunt: d. *L. i.* Adcedit causa,  
restitutionibus in integrum propria, locorum puta diuersitas, a  
CONSTANTINO M. *L. 2. C. Th. de integ. restit. in gratiam eorum,*  
qui propter aetatem se laesos profitentur, introducta, ut in urbe  
Roma et intra centesimum ab urbe lapidem quinquennium, in Italia  
quadriennium, in prouinciis triennium minoribus ad restitutionem  
prodebet. Quae locorum differentia visa est *Iustiniano* in d. *L.*  
*vlt.* ad inducendum aliquod restitutionis discriminem satis absurdum;  
nec tamen visa est in aliis causis, in quibus eam diligenter obser-  
vauis, ut in *pr. I. de excusat. tut.* At enim uero etsi hae rationes  
mouerunt Imperatorem, ut utilis anni cursum in speciebus nominata-  
tim expressis abrogaret: tamen ad cetera quoque nostrae computa-  
tionis

tionis loca eundem respexisse, penitusque eius usum e iure recentissimo proscriptisse, ab sanae interpretationis regulis abhorret. Praeterquam enim, quod illa continui quadriennii substitutio anno quidem utili, non vero brevioribus, quae et ipsa frequentissima sunt, temporis spatii conuenit: id etiam usus constat IUSTINIANO ingenium, ut de iure a se mutato sere adrogantius loqueretur: quare non est probabile, eum tamē, qualis haec usset, vicissitudinem silentio praetermississe.





**ULB Halle**  
003 015 432

3



56.





EXERCITATIO IVRIS CIVILIS  
DE  
T E M P O R I S  
CONTINVI ET V T I L I S  
COMPVTATIONE

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO GRADV DOCTORIS

OBTINENDO

A. D. XV. M. SEPT. A. C. CICOCCLXXXI

PROPOSVIT

CHRIST. AVGVST. STOELTZER

MARGLISSA - LVSATVS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA

